





*Quod Deus benè vertat!*

13 415. 3

MELET MATA JURIDICA,  
ex materia

*Dc*

1667 12.

# NECESSARIA DEFENSIONE

delibata,

*Que*  
**PRAESIDE**

*VIRO*

*Magnifico, Nobilissimo & Consultissimo*

**DN. JOHAN: REBHA**N,

JCto, Com. Palat. Cæsar. Divers. Statuum Imperii Consiliario, & in illustri hac Argentoratensi.

Academiâ Anteceffore Seniori  
celeberrimo &c.

*Dn. Patrono, Fautore & Preceptor suo  
omni observantia cultu jugiter prosequendo,  
colendo.*

*Publicè pro ingenii viribus defendere conabitur*

**PETRUS SANDER.** Isnacensis.

Auth. & Resp.

*Addiem Iun. Anno M DC LXVII.*


*In Auditorio majori horis consuetis.*

29.

---

*ARGENTORATI,  
Literis Johan. Friderici Spoor.*

DEO  
PATRIAEE, PATRI  
&  
AMICIS.



## PRAEFATIO.

Ui juri operam nayant, variis rerum argumentis variè suos in eo factos progressus ostendere satagunt & patribus & superioribus, quorum nutu in Academiis vivunt.

Verùm diversos ad diversa diverse movent causæ. Alii enim materiæ ducuntur nobilitate: alii ejusdem utilitate. Harum, quæ alteri sit præferenda, uti optio diffìciliore est; ita arbitror, nec illos, quod ingenii laborisque insoliti gloriam præprimis quærant laude sua indignos esse: nec hos, ceu quos excusat fortè frequens in vita civili & hinc necessarius, quem respiciunt, usus. Hujus itaque generis cum & hæc de necessaria defensione sit, eam ego in præsens, non tam ingenii ostentandi & ra-

A 2 ritatis,

ritatis, quam potius utilitatis causa, publici exercitiū loco selegi: facilem quoque hinc hujus mei ausus veniam sperans, tam in electa materia ipsa, quam in ejusdem tractatæ modo. Selectioribus siquidem paucis pagellas has completere volui potius paucas; quam ineptiis multis multas. Cui conatus ut faveas, benebole Lector, præter preces meas, obtinebit forte communis studiorum favor.



Quæstio

## Quæstio I.

*An illis, qui lege permittente offendendi possunt,  
puta Bannitis &c. defensio non sit per-  
missa, adeò, ut si se defendendo aggresso-  
rem interficiant, etiam homicidii rei  
fiant?*

**A**sserit hoc Bartolus, motus hac præcipue ratione, quod scil. injusta sit defensio, ubi justa est offendio. Tantoque magis, in hac specie, in qua cuivis ex populo datur executio, dico, quilibet sit & fiat legis minister & executor iustitiae; postquam judex propter fugam rei iustitiam exequi nequeat, quem si præsentem & in manibus haberet, ultimo supplicio afficeret; quo spectat illud Tertulliani: *In reos Majestatis & publicos hostes omnis homo miles est.* Licit autem veriorem esse dissentientium opinionem, Salomonius exinde concludat, quod non statim sequatur, ei exceptionem esse denegatam, contra quem actio competit. 2. Quodque non quilibet statim privatorum, reo damnato iustitiae efficiatur executor; quippe quo nihil ad seditiones ac tumultus excitandos sit facilius & promptius: cujus tamen occasiones modis omnibus ressecandas Dec. ad l. non est singulis. 176. de R.I.n. 2. sed tantum judici hoc detur. Accursi. in l. 10. C. de his quib. ut &c. Vereor tamen, ne aliquis, ex Q. Mutii posteris surgens, illis sit objecturus: turpe esse, jus in quo ipsi versantur, ignorare. arg. l. 2. §. 43. de orig. jur. vel in apertis locum conjecturis dare. arg. l. 137. §. 2. in fin. de V. obl. proinde in afferentium sententiam meritò transimus, moti, non tantum per

A 3

text.

21

*text. l. 3. §. fin. ad L. Corn. de siccari. Verum etiam Novissimam & nunquam satis laudata Constitutione de Pac. publ. Tit. Bon Poen der Friedenbrecher. & Ordin. Camer. part. 2. Tit. 9. §. Ob jemandt v. So bald auch der. Gail. 2. de P.P. c. 1. n. 23. & seq. Pet. Frid. Mind. de process. in Camer. extrah. I. c. 26. n. 5.*

Huic quæstiōni affinis est & illa: *Si quis licet posset capi, is autem se defendat, sicque in certamine occidatur, An occidens veniat puniendus?* Quod quidem Schneidvv. ad §. 2. *Inst. de L. Aquil. n. 6.* indistinctè negat; codem illo Bartoli fundamento nisus; Sed forsan consultius erit distinguere: utrum Magistratus mandato talem malefactorem unicuique ex populo prosequi concesserit, an non: ut illo casu omnino excusetur. *l. 32. & seq. de injur. Harpr. ad ad §. 5. Inst. de publ. jud. n. 197.* non æquè, si hoc non concesserit: Nam culpa est immiscere se rei ad se non pertinenti. *l. 36. ff. de R. I. c. non est 19. de R. I. in 6.*

## Quæst. II.

*An ut maritus uxorem; sic uxor maritum, in discrimine vita constitutum defendere queat?*

**N**Egare id videtur Imp. in §. 2. *Inst. de injur. post: JCTum in l. 2. ff. eod.* cum dicit; *defendi uxores à viris, non viros ab uxoribus aquum esse;* ita ut ne absentem quidem maritum uxor defendere possit. arg. *l. 4. C. de pro-*

5.

procurat. VVesenb. i. Conf. 43. n. 137. Verum meritò nobis idem de uxore ergà maritum, quod de marito erga uxorem sumimus judicium, ex natura correlativo-rum, de quibus idem judicium, ubi evidens diversitatis ratio non appetet. fac. l. 22. §. 7. ff. solut. matr. Nec refragatur Imperator in all. §. 2. Inst. de injur. loquitur enim de defensione judiciali ordinaria, sive injuriarum actione, si quæ marito facta; quamvis nec ab hac penitùs prohibeatur in l. 41. ff. de procurat. l. 3. §. 2. de liber causa. Sichard. ad d. l. 4. C. de procur. n. 4. & seq. imprimis, si isthacæ injuria aliam contra ipsammet simul implicet, ut si Leno, Cuculus injuriosè maritus vocetur.

### Quæst. III.

*Num jure ad defendendum proximum teneamur?*

ET quod ad hoc teneamur, arbitror, non tantùm ex ipso rationis naturalis dictamine liquere: siquidem omnis ratio & constitutio vitæ adjumenta hominum desiderat. Cic. 2. offic. Hinc Seneca: *si iustus es*, inquit, *non nocebis*; *sed & nocentes prohibebis*: & sicut cuilibet bonum videtur alterius auxilio frui, ita nec aliis auxilium & defensionem denegare debet; Verum etiam jure divino, quo jubemur proximum diligere, sicut nosmet ipsos. Matth. 22. vers. 39. Marc. 12. vers. 31. quod sequitur jus Canonicum, plenam iustitiam dicens, solum in vitæ discriminé constitutum, defendere. C. fortitudo. 5. C. 23. q. 3. c. 6. de sent. excomm. in 6. C. negligere §4. c. 2. q. 7. c. 7. & c. II. c. 23. q. 3. & passim alibi: Idem

con-

constitutum jure civili, ita ut secundum hoc quis se contaminet criminis reatu, si, quod prohibere potest, non prohibet. l. 109. l. 150: de Reg. Iur. ad id enim præstandum obligati sumus, quod alteri prodest, & nobis non nocet, l. 2. §. 5. ff. de aqu. & aqu. pluv. arc. imò, nullius magis interest, quam ipsius hominis, beneficio affici. l. 7. de servus export: Cui suffragatur Carol. V. in Ordin. crim. art. 150. §. item so einer zu Errettung eines andern Leib/ Leben oder Gute / jemandt erschlägt. Causam tamen dissensus non in nullis præbuit, quod arg. l. ult. ff. de condic. ob turp. caus. Dd. concludant; turpiter eum facere, qui pro defensione alterius pecuniam accipit, contra l. 9. §. 1. ff. quod met. causa. l. 34. §. 1. ff. de donat. Wesenb. in π. ff. de condic. ob turp. caus. n. 3. aut, ut alterum defendamus, nos jure non esse obligatos. Bart. ad d. l. 9. §. 1. n. 2. qui sic pro negativa pugnat: quem tamen Baldus in tantum improbat, ut Bartolom propterea in inferno cruciari, paulò acerbius scripserit: Verum licet hæc ipsa argumentatio prima fronte non exigui ponderis esse videatur; corruit tamen, si attendamus, aliud esse quempiam teneri defendere ex improviso & instanti periculo, & aliud, alteri inservire pro certa pecunia, ut, si quod periculum forte obveniat, propulsit: illud officium Christiani & humanitatis est; hæc locatio seu contractus, hac ratione pecuniam accipere utile est; illa turpe, nisi merces tanquam honorarium interveniat. d. l. 34. §. 1. de donat. adde Harpr. ad §. 5. Inst. de publ. jud. n. 141. Bacch. ad Treutl. 2. 32. 6. 1.

Quæst.

## Quæst. IV.

*An Christianus Judæis quoque contra vim  
illatam succurrere & impunè invaso-  
rem Christianum occidere possit?*

**E**xpræsupposito, vim esse injustam, neque aliter eripi vel evadere periculū alterutrum posse, id affirmandum duxerim: ubi enim alterum perire necesse est, iustius est, ut pereat violentus invasor, quam insons. Bacch. ad Treutl. 2.32. 6.1 Adde, quod lcx Evangelii beneficentiam in quosvis homines, data occasione, non liberam modo relinquat; sed & sub præcepto posuerit: Nam DEI exemplo, qui Solem oriri facit bonis & malis, ac utrosque pluvia humectat, jubemur nullum hominum genus à beneficiis nostris excludere, ut scribit in opere illo celeberrimo *de jur. belli & pac.* Hugo Grot. 2. 15. n. 10. Hæc tamen dictis illud subjiciendum est, quod ista hæc intelligenda sint, si extraneus non nesciat, absque vita sua jactura periclitantem à se defendi posse; alias enim ad opem ferendam non tenebitur, arg. l. 6. C. de serv. & aqu. can. si non 8. c. 29. q. 5. Unde, si quis dubius circa hoc, defensionem alterius omiserit, de jure civili nulla poena reperitur constituta. Bacch. ad Treutl. 2.32. 6. 1. Bern. Zieritz. ad art. 150. Constitut. Carolin. D.D. Ludv. disþ. Inst. ult. thes. s. lit. D. Vasqu. 1. contr. 9. n. 5. & 6. Andr. Gerhard. dec. ult. q. 6.

B

Quæst.

21

## Quæst. V.

*An in casu, ubi filius patrem vel pater filium in mortis periculo constitutum non defenderit, fieri possit exheredatio?*

**R**esp. Negando, eo, quod in Nov. 115. c. 3. nulla hujus facta sit mentio: non obstante eo, quod hæc causa quibusdam similis, quibusdam etiam major videatur. arg. cap. sicut dignum. extr. de homicid. ibi: qui potuit hominem liberare & non liberat, eum occidit. Treutl. 1. 13. 8.. C. Arum. 10. Exerc. 3. Gcrh. 8. q. 7. Hunn. 2. V. R. 5. q. 19. Forst. 12. q. 18. Bicc. Sect. 3. thes. 83. lit. tt..

## Quæst. VI.

*An ob defensionem pudicitia puellæ permisum sit, stupratorem interficere?*

**A**ffirm. per l. 1. §. 4. ff. ad L. Corn. de lictar. quia hic quando scil. castitas & virginitas periclitatur, non minus ac illic, ubi vitæ discrimin vertitur, de damno agitur irreparabili, ut proinde etiam adversus Judicem se & honorem suum defendere liceat, juxta l. 5. C. de jur. fisc: Quippe sicuti vita: ita & castitas & pudicitia semel amissa & perdita, irrecuperabilis est, l. unic. pr. vers. maximè. C. de rapt. virg. ubi gl. in verbo, non potest. C. si paulus 32. q. 5. Quin imò, Virginium pudicitiam filiæ suæ ipsius vitæ anteposuisse patet ex l. 2. §. 24. de orig. jur.

Huc

Huc spectat dictum Livii lib. i. dec. i. *Quid homini salvum esse potest amissum aut vi erupta pudicitia.* Unde recte Augustinus lib. i. de liber Arbitr. 10. i. scriptum reliquit: Multo mitius esse, eum, qui alienæ vitæ insidiatur, quam cum, qui suam tuerit occidi, & multo immanius esse, invitum hominem stuprum perpeti, quam cum, à quo vis illa infertur, ab eo, cui inferre conatur, interimi. Vid. Hippol. de Mars. in l. i. C. de rapt. virg. n. 12. Gail. 2. obser. 110. n. 5. & seqq. Borch. defend. c. 7. n. 43. Treutl. 1. disp. 1. thes. 4. lit. C. Ayrer de homic. necess. p. 1. n. 135. & 140. ubi aif: Virginem ad stuprum sollicitaram, si honorem virginitatis aliter conservare & tueri nequit, etiam in foro conscientiae sese opprimere conantem occidere posse.

### Quæst. VII.

*De bonis nostris, an pro iis tuendis aquæ ac pro corpore defendendo, liceat invasores de-  
pellere & occidere?*

**A**rior inter JCTos disceptatio est. Nam 100. allegat Dd. Ayrer in tractatu de homicid. necess. part. i. n. 156. quibus facile negotio totidem insuper addi possent, si auctoritatibus nobis esset depugnandum, qui pro defensione rerum invasorem etiam occidi posse statuunt. Nam res, dicunt, sunt quasi secundus hominis sanguis, & media ad vitam sustentandam necessaria. gloss. in l. ad voc. 2. C. de Advocat. divers. judic. Jason in l. nec quicquam 9. §. ubi decretum, 1. num: 2. de off. procons. & in illo Hesiodi:

Pecunia anima miseris mortalibus dicitur; Ergò peræque ut vitam defendi possè, ajunt: in hanc sententiam etiam inclinare videtur, Ordin. Crim. art. 150. item so einer zu Errettung eines andern Leib/ Leben oder Güter. &c. Sed nobis hæc opinio & iniqua & injusta esse videtur, quia inter rerum & vita defensionem, maxima est differentia. Nam homo nobilissima est creatura ad imaginem Dei creata; cuius respectu res caducæ, quæcunque etiam præfiliissimis sunt habendæ ceu quæ non suarummet causâ, sed hominum gratia à rerum natura comparatæ sunt. l. 28. in finff. de usur. §. in pecudum. 38. Inst. de R.D. Et vita hominis, nisi in continentî defendatur, semel amissâ, reparari nequit: semel occisus homo non potest in vitam revocari, uti Periclem apud Plutarchum dixisse auctor est Nicolaus Bellus. l. 2. disc. politic. 39. At res verò ablatæ adhuc aliis modis repeti possunt. Hinc concludimus, propter rerum conservationem invasorem licitum non esse occidere, nisi simul vita periculum concurrat, h. e. ille resistat, qui res auferre audet; absurdum enim est, animas hominum, quibuscumque vasis vel vestimentis postponi. l. 21. C. de SS. Eccles. cap. si perfodiens, cap. suscepimus extr. de homicid. l. si ex plagiis 52. §. tabernarius i. ff. ad Leg. Aquil. l. furem 9. ff. ad L. Corn. de siccari. Potes ergò restuas defendere; sed in defensionem, non ad homicidium usque progredi, nisi forte alter tibi resistat & sic te in discrimen vitæ deducat. Conf. post Accurs. Bart. Jafon. Claud. de Seysfel ad l. 3. ff. de Inst. & Jur. Abb. & Felin. in c. 2. extr. de homicid. Carer. in pract. crim. tit. de homicid. §. Quinto excusat. n. 12. Clar. 5. sentent. §. Homicidium. n. 23. Chaffan consuet. Burgund. rubr. l. §. 5. vers. Quero. num. II. Bald. in l. 1. C. unde vi-

Quæst.

## Quæst. VIII.

*An convitiis lacesitus, ob honoris suitutam quempiam impunè occidere posse?*

**N** Egamus, licet enim quilibet bonæ famæ & existimationis suæ rationem habere debeat, l. 48. in pr. Mand. Nov. 30. cap. 7. Et crudelis sit, qui toti suæ confidens conscientiæ, famam negligit, Augustinus: Imò melius sit mori, quam vilipendi, secundum Baldum conf. 212. Col. 1. l. 4.

*Jactura gravis temporis est, maior honoris,*

*Nam vitanibilis cubicafsa dignitas est;*

Scalig. lib. I. Epidorp. vitaque & fama pari passu ambulent. l. 9. ff. de manumiss. vindict. l. 8. §. 2. ff. quod metus caus. l. 26. pr. ff. Si quis omis. caus. l. 36. in fin. ff. de fideicom. Et bona fama sit thesaurus inæstimabilis; Attamen propterea cades alicui non est infligenda: quid enim magis juri & æquitati adversatur? Cum evidentissima sit inter vitæ & famæ defensionem disparitatis ratio. l. 25. §. 1. ff. de procur. l. 38. §. pen. ff. ad L. Iul. de adul. cùm pro quâ alia remedia cuivis sint in promptu. Injuria enim nostræ existimationi illata, vel retorsione illico repellit. l. 25. ff. de procur. vel actione injuriarum, aut ad recantationem reparari potest. Dd. in tit. ff. de injur. At vita semel amissa, recuperari nequit. Ubicunque autem offenso alia defensio præsto est, ibi violenta defensione, si usus fuerit, non merebitur excusationem. l. 45. §. qui cum aliter 4. ff. ad L. Aquil. Quia non est defensio; sed ultio, quæ jure prohibita. l. nullus. 14. C. de judais. d. l. 45. §. 4. ff. ad L. Aquil. l. unic. C.

*ne quis in sua. l. nullius. 10. ff. de testib. l. omnibus. C. coll.*  
*Cum itaque nemo cum cæde alterius se defendere pos-*  
*sit, si se aliter tueri queat. d. l. 45. §. 4. ff. ad L. Aquil. fa-*  
*cile indè appetet, nemini impune licere convitiis laces-*  
*sentem ob honoris sui tutelam occidere: fama enim*  
*uti dixi, sine cæde alterius potest defendi, actione nî-*  
*mirum injuriarum.*

### Quæst. IX.

#### Quatenus Tutela sui privato permissa?

**T**utelam sui jure permissam esse cuilibet privato ex-  
 pressè traditur in *l. 3. ff. de Just. & Jur.* ibi: *Jure hoc*  
*evenit, ut quodquisque ob tutelam corporis sui fecerit, jure*  
*fecisse existimetur.* §. 2. *Inst. ad L. Aquil.* l. 4. pr. l. 45. §. 4.  
*ff. ad Leg. Aquil.* l. 1. §. 27. *De vi & vi arm.* ubi expressè di-  
 cit *JCtus*, *jus hoc vim vi & arma armis repellere naturâ*  
*comparatum esse.* l. 2. l. 3. C. *ad L. Corn. de Sicar.* P. H.  
*Ordn. Carol. V. art. 139. & seqq. cap. significasti 18. extr. de*  
*homicid. Gail. 2. observ.* 110. n. 10. ibi: *Gewalt mit Ge-*  
*walt zuverreichen ist nicht verbotten.* *Carpzov.* l. *crim.*  
*23. n. 2. & seqq.* ibique laudati: modò id fiat *cum mo-*  
*deramine inculpatæ tutelæ.* l. 1. C. *unde vi. quod mode-*  
*ramen consistit in MODO, TEMPORE & CAUSA.*

Modus, est defensio necessaria, hoc est, quod aliter  
 declinare vitæ suæ periculum nequeat: TEMPUS, si eo  
 tempore fiat, quo præsens imminet provocato vitæ pe-  
 riculum, hoc est, si in rixâ & in continentia fiat, provo-  
 cato non descendente ad actus extraneos. Nam si ex in-  
 tervalle fiat, defensio non est necessaria, sed vindicta. l. 3.

§. eum

¶. eum igitur q. ff. de vi & vi arm. CAUSA, est aggressus  
 adversarii : justa enim defensio ob personam fieri debet,  
 atque ita , ut necessaria sit ad defensionem sui , non ad  
 vindictam facta. l. 3. C. ad L. Corn. de siccari. nec si ipse au-  
 thor rixæ fuerit, & operam rei illicitæ dederit. Ratio  
 decisionis superioris est , quod adversus periculum ejus-  
 modi se defendere non tam omnes leges omniaque ju-  
 ra. l. 1. §. 27. ff. de vi & arm. l. 3. de just. & jur. l. 45. §. 4. ff.  
 ad L. Aqu. Verum etiam ipsa naturalis ratio, permittunt.  
 Elegantissime hoc declarat Cicero in orat. pro Milone: Est,  
 dicens , hæc non scripta, sed nata lex , quam non didici-  
 mus, accepimus, legimus : verum ex natura ipsa arripui-  
 mus, haufimus, expressimus ; ad quam non docti ; sed  
 facti ; non instituti , sed imbuti sumus, ut, si vita nostra  
 in aliquas insidias, si in vim, in tela aut latronum, aut ini-  
 micorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediens  
 & salutis : Silent enim leges inter arma, nec se expecta-  
 ri jubent, cum ei , qui expectare velit, ante injusta poena  
 luenda sit, quam justa repetenda. Quamvis alias nemo  
 sibi ipsi sumere debeat ultiōrem : cum tutela & defen-  
 sio subditorum Magistratui sit data & concessa , quam  
 quilibet laesus implorare tenetur. l. 14. C. de Judicis. l. 176.  
 ff. de Reg. jur. Sed quia non raro necessitas nos in eas  
 angustias dicit, ut si leges expectare velimus , ante injus-  
 ta morte simus perituri, quam facti in nos insultus ju-  
 stam poenam petituri. Ideo diuisis casibus permisum est,  
 sine judice se vindicare. tot. Tit. C. quand. lic. unicuiq. si-  
 ne jud. se vind. Melius enim est intacta cuiusque jura  
 servare, quam post vulneratam causam remedium que-  
 rere. l. fin. C. in quib. caus. in integr. rest. non est necess. &c.

Quæst.

## Quæst. X.

*An aliquis in necessaria defensione teneatur ad primum usque iustum expectare & hunc sustinere.*

**N**eg. Quippe secundum vulgare illud, melius est prævenire, quam præveniri, vel melius est in tempore occurrere, quam post vulneratam causam remedium quærere. l. 5. C. in quib. caus. integr. rest. l. 1. C. quand. lic. unic. l. 4. C. ad L. Corn. de sciar. Schneidvv. §. 1. Instit. de I. N. G. & C. n. 15. Nam

*Dimidium amisit, qui primum expectat ad iustum.*

Et tu quod cavere potes, stultum est admittere, malo ego hoc prospicere, quam hunc ulcisci acceptâ injuriâ. Terent. in Eunuch. act. 4. sc. 6. Quippe facile contingere potest, ut quis primo iusto pereat, vel ita periculose vulneretur, ut defensione amplius locus non relinquatur, Remus ad Ordin. Crim. art. 140. v. nemo a. Obrecht. tr. de necef. defens. c. 2. n. II. Quam sententiam Carolus V. Imper. in Conslit. Criminal. artic. 140. expressis verbis comprobatur. Ist auch mit seiner Gegenwehr bis geschlagen wird/ zuwarten nicht schuldig. Poterit igitur defensor, si viderit arma in se stringi. C. J. A. l. 48. Tit. 8. thes. 7. sibi prospicere in tempore: ubi enim cunctatio periculosa est, justum est, ut prævenias. l. 1. C. quand. lic. unic. Et leges nostræ occidere permittunt ad se venientem. d. l. 3. ff. de iust. & jur. l. 4. ibi qui inferend. & cædis voluntate præcesserit. C. ad Leg. Corn. de sciar. l. 5. ibi. ferro

se

15.

se petentem ff. ad L. Aquil. & sufficere dicunt aliquem in  
dubio vita discrimine constitutum esse. l.2. C. desicar.

423 3

## Quæst. XI.

*An equalitas armorum in justa defensione  
præcise requiratur?*

Cum Obrecht: tr. de necessar. defens. c. 2. n. 6. negamus: Nam quicquid quis ob tutelam corporis sui facit, id jure facere dicendum est, l. 3. de Just. & Jur. & defensor propriæ salutis in nullo peccati videtur. l. 3. C. ad L. Corn. desicar. Imò etiam ex ipsius defensionis natura quasi præsupponendum, perinde est, quo armorum genere quis vitam suam defendat, cum aggressor plerumque vim faciat ex proposito, & in omnem eventum instrutus veniat, insultato verò inopinato incomposito terrore perculso, ac in discrimine vita constituto, non valet de paritate armorum prius cogitare, minus deliberare, quæque vel incontinenti ita comparari non possunt: defensio autem, quæ non incontinenti sit, non sine culpa est. Undè nec Florentinus, nec Imperator Gordianus præscribunt, aut discernunt armorum genera, quibus defensio fieri debeat, sed uterque simpliciter loquitur. Ergò nec nos modum præscribere debemus: Percussoris verò arbitrio committere, quomodo se alter tueri debeat, tam iniquum est, quam stultum illud, validioribus armis, quibus se quis defendere possit, abjectis, certiore salutis viam relinquere & majori se discrimini objicere: Vires enim multò magis excellunt & excedunt in persona illius, qui aggreditur alium, quā in persona il-

C

lius,

z,

ius, qui aggressus est. August. Bonfrancisc. ad Angel.  
tract. de malef. §. & dictus Titus n. 13. Itaque sic statui-  
mus, vim armatam armis repelliri posse, non verò vim &  
injuriam inermem, à quâ metus mortis abest. Armo-  
rum appellatione, qua véniant videre est ex §. 6. Inst. de  
interd. l. 41. l. 224. d. verb. sign. & ibi Gad. l. 3. §. 1. ff. de vi  
& vi arm. l. 9. ff. ad L. Jul. de vi publ. l. 54. §. 2. ff. de furt.

### Quæst. XII.

*An insultatus indistinctim fugere tenea-  
tur?*

Quod quidam Dd. in l. 3. ff. de Just. & Jur. communiter  
asseruere, quasi is nō servet defensionis modum, qui  
mayult resistere, quam fugere, per §. 2. Inst. de Leg. Aquil.  
l. 45. §. qui cum aliter 4. ff. ad L. Aquil. quo etiam detor-  
quere verba Ordin. Crim. art. 142. §. mehr so fürgeben  
wird. &c. Ubi Remus v. veldenique. E contrà, plurimi  
vim imminentem non fuga; sed repercussione esse pro-  
pulsandam, statuunt. Nos distinguimus & dicimus,  
quod vel certum sit, insultatum beneficio fugaz pericu-  
lum imminens evadere posse, vel incertum & dubium:  
Si prius, quod tunc fugere teneatur, si omnino innoxius  
esse velit, probamus. Ille enim innoxius tantum est,  
qui aliter adversus vim se tueri non potest, quam id fa-  
ciendo, quod facit, l. 45. §. 4. ibi. qui aliter se tueri non  
possunt innoxii sunt. ff. ad L. Aquil. l. 2. C. ad L. Corn. de  
sciar. ibi: in dubio vita discrimine constitutus. Clement. n.  
nic. de homicid. ibi. qui mortem aliter vitare non valet: Si  
verò dubium sit, an effugitur quis sit periculum, quod  
tunc

tunc aggressorem, salva conscientia, & jure optimo, sub  
& resistere possit, seque defendere. Confer P. H. Ordin.  
Carol. V. Imp. art. 140. ibi. Und der Benötigter kan  
füglich oder ohne Gefährlichkeit / oder Verlesung seines  
Leibs/ Lebens ic. nicht entweichen / der mag sein Leib und  
Leben ohn alle Straße durch eine rechte Gegenwehr ret-  
ten/ & art. 142. versl. mehr so fürgeben wird. Unde quo-  
que appetat insultatum tūm demūm adversarium vi re-  
pellere & occidere posse, si ipsi fugienti immineat vita  
periculum, ira ut ex eo se fuga aliove modo salvare ne-  
queat; puta, quod aggressor armata manu gladiove eva-  
ginato & strīcto, ante ipsum stans, terrorem & metum,  
ne cum terga vertentem comprehendat & prosteruat, in-  
cutiat aut fugaz eventum ratione loci lubrici periculo-  
sum prospiciat. Obrecht. tr. de necessar. defens. c. 10.  
n. 90. seqq. C. I. A. 48. ff. 8. ab. 9. n. 3.

### Quæst. XIII.

*An is, qui moderamen inculpatæ tutela ex-  
cessit, pœna ordinaria L. Corneliae sit  
puniendus?*


Quæstio optima & frequenter in judiciis versata, satis  
studiosum est, ut in præsenti paucis dirimatur. Ubi  
in negativam inclinamus, hanc ob rationem, quia ut  
pœna L. Corneliae locum habeat, verus & manifestus  
dolus adesse debet, adeò ut ne clata culpa hīc dolo æqui-  
paretur. l. 1. §. Divus 3. l. 14. l. 16. ff. ad L. Corn. de scir. At-  
qui in defensione non præsumitur talis dolus. Gail. 2.

*obseru.* 110. n. 15. sed potius necessitas defensionis. Ergo nec ex dolo puniendus, sed quatenus excedendo illicite fecit, scil. propter errorem & culpam tantum, h. e. propter excessum rei licitae, nempe defensionis, in qua semper modum tenere difficillimum. Angel. *in tract. de malef. §. & dictus Titius. n. 17.* & ibi August. Bonfrancisc. & Angel. de Clavasio *verb. defensio. num. 5.* Est enim ira furor brevis, Horat. *Ep. ad Loll.* Et insanimus omnes cum irascimur. Stobaeus *serm. 18. vid. l. si adulterium 38. §. 8. ad L. Jul. de adult.* l. *quicquid. 48. de R. I.* & ibi Everh. Bronchorst. Deindè, quia provocatus non habet stateram in manu, ut possit dare iactus & vulnera ad menfuram, in c. olim *causam de rest. spol.* & ab initio justè fecit, qui invasis est, ac justo dolore movetur is, qui ab aggressore provocatus est. l. *si adulterium*, 38. §: *Imp. 8. ff. ad L. Jul. de adulter.* l. *si quis in gravi. 3. §. 3. ff. ad SCT. Syllan.* & l. *Gracchus. 4. C. ad L. Jul. de adult.* Arbitrio itaque Judicis puniendum eum esse judicamus, confer Schneidvv.

*ad §. 1. Inst. de I. N. G. & Civ. n. 18.*



*Ad*

*Ad**Nobilissimum***DN. DISPVTANTEM,**

Amicum meum dilectum.

**I**nfamem, si quis pugnæ ingrediatur are-  
nam,

Funestam studio, publica jura volunt.  
Infames procul hinc, gladios procul, omni-  
aque arma,

Vulnera dira procul, funera mœsta pro-  
cul.

Hic aliam Themis ipsa Tibi jam pandet are-  
nam,

Qua cum laude, quibus congrediaris,  
habes.

Congredere, ut dignos merearis Victor ho-  
nores:

Quos Tibi felices, perpetuosque precor.

**PRAESES.**

C 3

Pre-

21

*Præcellentissimo ac Pereximio*  
**DN. RESPONDENTI,**  
Amico ac Commensali suo per-  
charo.

**S**Edulus Aonidum cum sudes SANDER in  
agris  
Ingenium cupiens excoluisse tuum:  
Atque tibi sacri veneranda scientia juris  
Sit cordi, Astreæ Te juvet arva sequi:  
Candidus est, omni dandus tibi jure lapilli,  
Quod ratione Viris hâcce placere cupis.  
Hoc quoque Rebhanio Doctori, nomine  
charus  
Existas,claro non sine laude Viro:  
Præsidis auxilio tanti tu dumque favore  
Nexus, juridicè disleruisse velis:  
Gratulor ex animo: votis ardentibus optans  
Ut faustis avibus perficere ista queas.  
Ac ut defendas, tibi quæ defensio dictat  
Nunc, defensor erit sic DEus ipse simul.

*Ita gratulando deproperabat*

**JOHANNES BECHTOLDUS,**  
J.U. Doctorand.

*Nobi-*

Nobilissimo atque Pereximio  
426 3  
**DN. DISPV TANTI,**

Conterraneo, eidemque Amico  
suo singulari.

Quod natura docet, meritò defendis, A-  
mice.

Perge, dabit pressis spem labor iste,  
precor.

**MAGNUS SAUL,**

Jur. Cand.

### Madrigal.

**E**r Feuer volle Geist  
Entschläget sich der Asche dieser Erden/  
Vnd flammet mit Gewalt  
Zum Sonnen-Gold / zum Throne der Gelehr-  
ten/


Ihm halten nicht die Pöbel's Glüthen auff.  
Dish/werther Freund / uns dein Exempel weist.

Der Du ohn Auffenthalt  
Mit hohem Ruhm / und frischen Götter-Muth  
Bishero hast Asiräen nachgesolget.

Wohlan! mein Freund / vollende diesen Lauff  
Sie zeige dir schon das schöne Schnecken-blut!

Also schriebe seinem guten Freunde zu Ehren  
**FRIDERICUS Lehmann/**  
der Rechten besessener.

**FINIS.**




Strassburg, Diss., 1667  
X 22842 J8

WNA



B.I.G.



vertat! 13 415. 3

JURIDICA,  
a

1667 12.

# SARIA TONE

DE

& Consultissimo  
REBHAND,  
ers. Statuum Imper-  
ac Argentoratens.  
ore Seniori  
KC.

Praeceptore suo  
r prosequendo,

dere conabitur  
R. Isnacensis.

LXVII.  
consuetis.

TI,  
ci Spoor.